59

DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. DECEMBRIS.

M. DIONYSIO PVYLON Doctore Medico, Moderatore.

Est ne Vitalis Facultas Naturalis? 1110.

HOMO diuinum animal, mortalis Deus, à Deo factus, non genitus, animâ rationali ex cælo, corpore ex cæno constat: Illa hujus Inquilinus omnis expers materiæ incorporeis alitur ſapientiæ ſtudiis, quibus non opimior ſed ornatior efficitur. Hoc illius nec carcer nec ſepulchrum, ſed hoſpitium vel domus, rectius præſidium ex certa elementorum proportione concretum, idoneo temperamento præditum, humoribus & ſpiritibus circumfluens, partibus ritè conformatis instructum. Vtriuſquequamuis Naturæ diſparis mira eſt concordia, vnionis parens mutua innataque propenſio animæ (nuſquam deſitura) vt corpus ſubeat informetque: corporis vt animæ rationali tanquàm ἐντελεχείᾳ propriæ ſubjiciatur. Vnionis finis vita, actio: Illa non eſt μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς σὺν τῷ θερμῷ, neque ἐνέργεια τῆς ψυχῆς, ſed actus & perfectio animæ, abſque motore externo præſente ſeſe ad Naturæ ſuæ congruentes operationes determinantis. Actus hic proprietas eſt à qua habet anima, vt τοῦ ζῆν ἀρχὴ καὶ αἰτία exiſtat (non tamen vnica) hinc vita ejus à corpore digreſſæ longè alia eſt; τὸ διανοητικὸν quippe ſtat ἄνευ τοῦ θρεπτικοῦ καὶ τοῦ αἰσθητικοῦ; ſecus verò dum illi conſociata. Hæc ἡ τοῦ ποιοῦντος κίνησις, ad quam concurrunt anima cum facultate & corpus partium ſuarum concinnâ ſtructurâ & idoneâ donatum temperie. Vtriuſque famulatui mancipantur ſpiritus vt ortu ſic tenuitate, puritate, temperie, & ad motum aptitudine diſſimiles. An omnia opera cum carnis miniſterio anima partitur? Efficaciæ animæ, partium ſtructura & temperies variæ ſunt pro cujuſque actionis exigentiâ.

VT functio propter opus, ſic propter functionem facultas, qualitas non parta aut infuſa, ſed à Natura inſita Animæ cujus proximum eſt inſtrumentum per ſe primò ordinata ad operationes ejus obeundas, & eam ob rem ſimpliciter neceſſaria. Anima humana virium omnium quas de ſinu ſuo promit, origo vna, ſedes vna, cui tanquam proprietates ejus indiuulsè cohærent, atque adeò vt illa tota eſt in toto & in ſingulis Partibus indiuiſa, ita omnium ſuarum virtutum vbique gaudet conſortio, non ſubſidio: à partibus igitur principibus nulla in cæteras deriuatur, nè Arteriarum vis pulſifica, ſed ſpiritus duntaxat vel cum eo ſanguis. Earum numerus viuentium quatuor ordinibus comprehenſorum operationibus definiatur. Creſcendi vis licet videatur exoleſcere duodecimo à natiuitate die in canali arterioſo ab Aorta in venam arterioſam peruio penè obliterato, & poſt vigorem annis confirmatum intercidiſſe, non tamen intermoritur ſenij & mortis neſcia. Cæterarum ſors eadem.

POTENTIÆ omnes ſunt Animæ vel Naturæ; illius ἡ αἰσθητικὴ & ἡ διανοητικὴ, huius ἡ θρεπτικὴ, vel vtrique communes ἡ ὀρεκτικὴ & κινητικὴ κατὰ τόπον, θρεπτικὴ ſiue φυσικὴ δύναμις vel indiuidui ſui ſpectat conſeruationem & altrix eſt, vel ejus perfectionem & auctrix, vel ſpeciei propagationem & generatrix, illis ancillantur attractrix, expultrix, retentrix & coctrix, quarum hæc ſumma eſt, ejus inſtrumentum calor, reliquarum ſtamina & villi: Ipſa verò priuata eſt aut publica, illa ſuâ ſe prodit actione & opere in omnibus & ſingulis corporis etiam particulis; Hæc in aliqua & definita parte multiformis eſt, nomen ſuum ab opere vel hujus vſu mutuatur. Animalium & Naturalium potentiarum non leue diſcrimen; Illæ cognitione ducuntur ſenſu aut intellectione, vt ſuas edant operationes ſpeciebus & ſpiritibus indigent; ſpecies ſui vltrò tranſmittunt objecta aut ipſæmet cudunt; cerebrum ſpiritus ſubminiſtrat, eorum actiones inhibere aut ſaltem citatiores reddere in noſtra poteſtate ſitum eſt. Hæ ſolo aguntur inſtinctu, materiam idoneam & ſufficientem ad ſuas functiones (noſtri nequaquam juris) requirunt; hæc omnium (vnam ſi exceperimus) ſanguis eſt & ſpiritus quos hepar & cor ſuppeditant.

HIS indiciis ſtatuatur in quarum potentiarum cenſu reponi debeat Facultas vitalis, quæ cordis æſtu (majore quàm in quâuis aliâ officinâ) & natiuâ temperie plurimum adjuta ſanguinem è vena caua per patentiſſimum hiatum cum ſpiritu naturali raptum & aërem ſuis repurgatum inquinamentis, alteratum & elaboratum è pulmonibus hauſtum in ſiniſtro cordis ſpecu temporis momento conficit, & in ſanguinem atque ſpiritus longè tenuiores & feruidiores conuertit, hoc nomine Vitales quod ſingularum partium calorem foueant, tueantur, augeant, inſitique damna vberius feliciuſque reparent quàm Naturales, hinc caloris influentis nomen non immeritò aſciſcunt: Vis ipſa ſpecie vitalis eſt, vitæ nec auctor, nec index; hujus euidentiſſimum τεκμήριον motus: Inanima quæ ſuopte ferri videntur impetu viua nuncupamus; ab eo cor primùm viuere & nouiſſimè emori dicitur, ſed perperàm: is in corde à vi vitali non eſt, ſed pulſificâ illius miniſtrâ.

CVM vis illa vitalis otium ſui neſciat, nullâ prælucente cognitione operetur, & cordis calorem concauſam ſibi adjungat, illius actio liberi arbitrij imperio neutra ratione ſit ſubdita; in ſanguinem, ſpiritus naturales & aërem ritè apparatos tanquam in aptam & conuenientem materiam ſe conuertat, vt ex iis ſanguinem arterioſum vberiori ſpirituum vitalium copiâ perfuſum generet ceſſurum cum venoſo in partium ſubſtantiam (non ex æquo) cujus per arterias (vnicâ donatas à natura tunicâ) in omnes corporis partes influxu & receptaculorum motu calor inſitus recreatur, refocillatur, vt vegetior factus functiones omnes naturales benè cumulatéque perficiat.

Est ergo Vitalis Facultas Naturalis.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Fabianus Perreau.	*M. Ludouicus Gallais.*	*M. Petrus Bourdelot.*
M. Edmundus Charrier.	*M. Franciſcus Goüel.*	*M. Carolus le Breton.*
M. Raphaël Maurin.	*M. Petrus Creſſé.*	*M. Claudius Peraut.*

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS ROBIN Pariſinus, A. R. S. H. M.DC.LX.